

reliqui ante 25. Junii, praeter omnium amicorum spem et opinionem reconvalui, vires in hac aetate sero recuperero, et nondum perfecte. Quamprimum accepi Librum Tuum divinum a Dn^o Rotboel et plantas a Gronovio, utut valde debilis, ad ea respondebam, prout potui ruri, ubi habebam paucos libros. Debui tota aestate ruri degere, pro aura liberaliori captanda, ante octiduum redditus urbi.

Dixisti me non respondisse ad prioris anni missas, ego nihil habeo quod respondeam, sed testem voco omniscientis Dei. Si non sufficiat, quid faciam.

3. Debeo vivere cum familia, adire amicos, excipere amicos (quamvis hoc parce faciam) ne videar alienus. Habemus hic Inspectiones Nationum, Inspecturas Aerarii, Consistoria majora, minora, Facultates plurimaeque alia negotia, quibus vacant aliarum Academiarum professores, certe plerique. Lego publice, privatim, privatissime, ab initio s. primo die Octobris in ultimum Junii, numquam adscendi imparatus, unde dum lectum peto ita lassus, ac si aratrum per integrum diem regissem. et immensa alia haec reticenda negotia. Potui horas aufurare de vita et sanitate mea, dum junior eram, nunc nequeo. Omnes qui me viderunt et mirati sunt, quod suffecerim iis, quae peregi. Tu solus me reprehendis.

Vocavi hodie ad me tabellarium cum suo elencho, ut viderem quibus diebus literae ad Te Upsalia exiere, et visum est.

Januarii 10—4.

Aprilis 3—1.

Augusti 3—20.

Gavisus semper Tuas excepi, lubentissime semper rescripsi, cum Tu semper habuisti pulchra et nova ex quibus profecit res herbaria.

His vale et vive diu felix.

Dabam Upsaliae 1764, d. 16. Octobris.